



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Henōtikon siue Pacificatorivm Dissecti Belgii

Afhakker, Aegidius

Vrsellis, 1618

Admonitio Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64709)



ADMONITIO AD LECTOREM.

SExtus iam labitur mensis, candide Lector, ex quo primam libelli huius editionem dedimus. Nunc quare secundam maturauerimus, eamque auctiorem, hæc subest causa: Vltimum prioris editionis folium vix prelo fuerat subtractum, cum plurimum mihi subito, quos dudum ante fueram prestolatus, fiebat librorum copia; Ex quibus earum rerum quæ ad historicam narrationem spectant, & clarior in nonnullis & vberior desumi poterat notitia. His accessit familiarium quorundam familiaris petitio, vt & in fine secundæ partis discrimen, quod inter catholicam & hæreticas de prædestinatione sententias inuenitur, paulò diffusius explicarem; & in quarta parte de successione Romani pontificis

* 2 in

AD LECTOREM.

in sedem B. Petri, aduersariorum impudentiæ vberius occurrerem. His ergo acquiescendum ratus, quamprimū me labori denuo accinxi. Quo iam ad finem perducto, ac prioris editionis exemplaribus distractis, quod habeo, tibi, Lector, libens communico.

Habes ergo hic, vt & ante, quatuor libelli huius partes: In quarum prima miseram conspicias faciem confœderatarum Belgij prouinciarum, miserā, inquā, obsolas in religionis negotio quas componere ibi nemo potest, cōtrouersias. In secunda proponitur tibi ipse controuersiarum status, seu quaestiones de quibus in hunc vsque diem durat contentio, cum resolutionibus vtriusq; partis. In Tertia proponuntur & examinātur consilia, quæ diuersi Ministri ad resarciendam concordiam diuersis vicibus contulēre. Ac demū in Quarta vera proponitur ratio, per quam vera Christi Ecclesia in doctrinæ tam vnitae quàm veritate perpetuo perseueret.

PROOE-